

quod aliquae extrahantur nisi quas pro se solummodo vult habere & quilibet contrafaciens mortis supplicio puniretur quia si extrahi possent ad libitum pro multitudine efferentur uiles est ibi etiam quidam mons in quo inuenitur quedam maneries lapidum qui nominantur turchenses in maxima quantitate qui sunt lapides ualde pulcri. set magnus can non dimitit aliquem ex ipsis fodere sine uerbo. In ista quoque prouincia talis consuetudo habetur. Nam uiri eorum uxores sorores & quaslibet mulieres in eorum domibus existentes superuenientibus forensibus consentiunt eis ad libitum complacentes ex ipsis. Nam quando aliquis de dicta patria uidebit quod aliquis forensis ad eius domum ueniat hospitatu. illico domum exiens uxori & alijs de domo cum instantia precipit ut forensi faciant suum uele & discedens uadit ad agrum uel ad rus non reuersurus domum donec forensis non senserit recessisse. Et statim cum uir domus recesserit forensis in domo remanens facit supra portam curtis unum galerium uel aliud affirmari. ut <sup>27r°</sup> donec ibi appareat illud signum ille miser cucurbita domum non redeat. adhuc noscens forensis ibi esse. & hec consuetudo per totam illam prouinciam obseruatur & huius consuetudinis talem causam assignant dicunt enim quod propter placibilitates & comoda que huiusmodi forensibus impendunt eorum dii congaudentes de bonis temporalibus eis prouident habundanter set magnus can hanc consuetudinem eis interdixit. set propter hoc non desinunt quin eam obseruent quia omnes libenter faciunt non est aliquis qui alium acuset sunt aliqui qui habitant in castris & casamentis super dirupta montium iuxta stratas qui habent pulcras uxores quas consentiunt transeuntibus ad libitum & ipsi mercatores donant ipsis mulieribus unam peciam alicuius telle subtilis forte per dimidium brachium uel aliud parui ualoris habito quoque solatio mercator equum ascendens recedit & tunc uir & mulier ipsum deridendo clamant post eum dicentes o tu quo uadis ostendas quid fers tecum de nostro demonstra nobis o repudiate quid lucratus es. uide quid reliquisti nobis quod tradisti obliuioni & ostendit peciam illam quam lucrati sunt cum eo istud habemus de tuo o tristis. & nichil portas tecum & sic derident eum & modum istum tenent /monetam quidem habent talem. quia habent uirgas auri. & ponderant eas. & secundum quod pondus est ita ualent & non habent cum aliquo signo monetam habent etiam monetam /de sale/ habent equidem bestias multas in illa patria conuersantes <sup>27v°</sup> que muscatum producant ex quibus habent utilitatem maximam habent etiam multos pisces & bonos qui capiuntur in lacu superius nominato habentur in illa patria multi leones vrsi dayni cerui & capreoli & aues maneriei cuiuslibet habundanter uinum de uineis non habent. set uinum faciunt de frumento & riso cum multis speciebus simul admixtis & est optima potatio / in ista prouin[ci]a nascuntur garofali multi quia quedam arbor est que ipsos producis que habet folia ad